

vii suos seducant: ne ut tenebrarum filii suos in
tenebras præcipitent: ne ipsi non satis eruditi
suos & male & erronee, & imperfecte informant:
ne veram viam ignorantes, tanquam cæci cæ-
cos ducant, ut utrosque in foveam cadere oporteat.
Requiritur ergo ab idoneo Ecclesiæ mini-
stro, ut sit *aptus ad docendum*. 1. Tim. III, 2. 2. Tim.
II, 24. Quomodo vero aptus esse poterit, si ea
aut non, aut minus recte didicerit, quæ docenda
sunt. Si deficit hac in parte, mirum non est,
si contemnatur. Requiritur ab eodem, ut *con-*
tradicientes possit convincere. Tit. I, 9. At vero,
si hoc in negotio se minus aptum ostendit, fieri
vix poterit, ut non contemnetur. Paucis verbis
sed multis doctrinis hæc ipse Paulus est comple-
xus ad Titum c. I. 7. 8. 9. scribens: *Oportet Epi-*
scopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensa-
torem, non sibi pertinaciter placentem, non ira-
cundum, non vinosum, non percussorem, non tur-
pem questum facientem: Sed hospitalem, bono-
rum amantem, temperantem, justum, pium, con-
continentem: tenacem fidelis illius sermonis, qui ad
doctrinam facit, ut possit & exhortari doctrina
sua, & contradicientes convincere. Hæc omnia
ad